

592.

1275 d. 16 Apr.

Östgöta Lagm. BENGTs Gåfvobref på gårdar i Skrukkeby, Biærcho, m. m. till ett kanonikat
i Linköping.

B. 3: 110.

Uniuersis presentes litteras visuris uel auditoris B legifer østgotorum salutem in domino sempiternam. Inter mansiones que in domo patris celestis eterna firmitate consistunt, volentes ipso prestante ihesu christo qui earum conditor existit. in aliqua earum inuestirj Notum facimus tam presentibus quam in posterum futuris quod nos in remissione peccatorum nostrorum & reuerendi patris nostrj & pie matris nostre nec non in remedium anime dilectissime vxoris nostre quondam margarete omniumque nostrorum progenitorum facimus canoniam in ecclesia lincopensi Cuj hos redditus assignamus Mansionem nostram in scrukubi cum incolis & omnibus attinenciis, vbi de incolis soluuntur. XIII thýnones annone & XIII ore denariorum annuatim necnon & ius patronatus quod nobis in dicta ecclesia racione predictæ mansionis attinebat, Jtem curiam nostram in biærcho cum omnibus attinenciis vbi de incolis soluuntur X thýnones annone & X ore denariorum Jtem villam gaddostad de qua soluuntur viginti thýnones & III:or marce denariorum & dimidia Jtem omnia predia que recepimus post prefatam vxorem nostram in thýst, scilicet XVI attongos de quibus soluuntur XX. & I marc. denar. annuatim Scire eciam volumus vniuersos quod predictam canoniam facimus & bona enumerata damus In honorem sanctj petri martiris de ordine fratrum predicatorum Nosque obligamus ad altare sibi construendum, cum calice indumentis & toto ornatu & necessariis ad missam celebrandam Cum autem consumpta fuerint que nos in principio prouidemus volumus quod canonicj quj in predicta canoniam in posterum fuerint prouideant de altaris ornatu & omnibus ad missam necessariis Hac eciam condicione omnia sepredicta bona damus vt Canonicus qui pro tempore fuerit missam de beato petro in omnj terciã feriam si vacauerit sin autem in proxima sequenti cum cantu dicere teneatur & heredes nostrj attendant, quod de missa predicta quod iam dictum est in perpetuum obseruetur. Litteram presentem fecimus sigillarj sigillo dominj mej regis W & dominj nostrj Ducis M & dominj. H. Episcopi lincopensis & aliorum regnj nobilium & nostro ad predictj factj euidentiam & munimen Datum anno domini M^oCC^oLXXV Tercia die pasche.